

CORPUS JURISCANONICI ACADEMICUM,

EMENDATUM ET NOTIS P. LANCELLOTTI
ILLUSTRATUM,
IN DUOS TOMOS DISTRIBUTUM,
USUIQUE MODERNO

Ad Modum

CHRISTOPH. HENR. Freiesleben,
alias FERROMONTANI,

J.U.D. CONSIL. CAMER. ET MIN. SAXO-GOTH. ET ALTENB.
ITA ACCOMMODATUM,

UT NUNC STUDIOSORUM QUIVIS, ETIAM TYRO,
UNO QUASI INTUITU, OMNES CANONES, CAUSAS
ET CAPITULA INVENIRE POSSIT.

Accesserunt

LOCI COMMUNES UBERRIMI
ET INDICES TITULORUM CANONUMQUE OMNIUM

summa diligentia ac nova methodo concinnati.

TOMUS PRIMUS.

Cum PRIVILEGIIS CÆSAREIS & SAXONICIS.



COLONIÆ MUNATIANÆ,

Impensis EMANUELIS TURNEYSSEN, Bibliop. & Typogr.

M DCC LXXXIII

RATIONE MODI JUS CANONICUM ALLEGANDI,

in antecessum observandum, *Textus*, qui ex DECRETO allegantur, per *Canones* esse allegandos; in DECRETALIBUS vero per *Capitula*. Hisce autem præsuppositis, jam singulæ *Partes* sunt videndæ.

§. I. DISTINCTIONES igitur allegantur per majusculum D. vel *Dist.* subjecto numero *Distinctionum*, E. gr. c. *Audite*, *Dist.* 34. id est, *Canon. Audite*, *Distinct.* 34. c. 14. D. 96. id est, *Can. 14. Distinct.* 96. In veteribus Libris, Canonis verba initialia plerumque post *Distinctionem* demum ponuntur, ita: 76. *Distinct.* *Scire*, id est, *Can. Scire*, *Dist.* 76.

§. II. CAUSÆ allegari solent juxta numeros, & quidem per literam C. hoc modo, C. *Principatus*. C. I. Q. 1. id est, *Can. Principatus. Causa* I. Q. 1. Vel etiam ita brevius moderni Dd. allegant, c. 3. c. 12. q. 5. Ubi semper primum C. *Canonem*, secundum C. *Causam* denotat; Alii illi C. quod causam significat, literam a. addere solent ita: c. 36. ca. 17. Q. 4. Aliter adhuc allegant Doctores antiqui, qui illud C. quod causam significat, omittunt & Canonem citant verbo initiali, eidemque numerum subjiciunt, qui non est numerus Canonis, sed causæ. E. gr. c. *Aperte*. 24. q. 1. Hoc ita legendum: *Canone*, *Aperte*, *Vigesima quarta*, (subintellige, *Causa*) *quest.* 1. quem Canonem moderni Doctores ita allegant, c. 36. c. 24. q. 1. Vel etiam haud raro Veteres Dd. allegant ponendo verba initialia Canonis, post quæstionem. E. gr. 7. q. 1. *Denique*, id est, *Can. denique*, *causa* 7. q. 1. item 14. q. 5. *Dixit Dominus*, id est, *Can. Dixit Dominus*, *causa* 14. *quest.* 5. Quales abbreviationes ita legendæ. E. gr. 9. q. 3. *Cuncta*. ita: *Nona*, (id est *causa*) *quest.* 3. *Cuncta*. id est, *Canone* ita incipiente. In evolutione autem primo quærenda *Causa*, post *Quæstio*, tertio demum *Canon*. Numerus autem *Causæ* & *Quæstionis* in superiore cujuscvis paginæ parte conspicitur; Canonis numerus à latere quærendus.

§. III. Notandum autem in *Caus.* XXXIII. *Quest.* III. inferi *Tractatum de Penitentia*, qui habet septem speciales *Distinctiones*, & ita allegari solet, C. *Perniciose. de Penit.* *Distinct.* 1. quod in *Causa* 33. *quest.* 3. quærendum; vel ut Veteres allegant, *de Pen.* *Dist.* 1. *Homicidiorum*, id est, *Can. Homicidiorum*, *de Penit.* *Dist.* 1.

§. IV. DE CONSECRATIONE *Tractatio* specialis subjecta est post absolutas causas, & continet *Distinctiones* quinque, & ita allegatur, c. *Triforme. de Consecrat.* *Distinct.* 2. five, quod idem est, c. 22. *de Consecr.* D. 2. id est, *Canone* 22. *de Consecrat.* *Distinct.* 2. Veteres brevius allegant hac ratione, *de Con.* D. 4. *Postquam*, id est, *Can. Postquam. de Consecrat.* *Distinct.* 4. vel ita: *de Conf.* D. 3. *Nosse*, id est, *Can. Nosse. de Consecrat.* *Dist.* 3.

Huic tractatui subjiciuntur CANONES POENITENTIALES, ET CANONES APOSTOLICI, qui ita allegantur, *Can. Penitential.* 14. *Can. Apostol.* 32.

§. V. DECRETALES apud DD. communiter allegantur, per X. seu x, quod significat *Extra*; *Extra* vero propterea allegantur, ut intelligatur, esse illud *Capitulum extra Decretum*, vid. Dn. Gerh. de Mastricht *Hist. Jur. Eccles.* §. 327. Veteres

CORPORIS
JURIS CANONICI

TOMUS PRIMUS,

CONTINENS
DECRETUM GRATIANI,

AD VETERES CODICES RESTITUTUM
ET NOTIS ILLUSTRATUM.

CUI ACCEDUNT
CANONES POENITENTIALES
ET
CANONES SANCTORUM APOSTOLORUM.

GREGORIUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Cum pro munere Pastoralis humeris nostris injuncto, id præcipue nobis propositum habeamus, ut omni studio, diligentiaque omnes Christi fideles, his præsertim tam gravibus, calamitosisque temporibus, in recta & Catholica fide continere, curemus: ac propterea id inprimis nobis agendum & providendum sit, ut omnem omnibus aberrandi ab ea occasione subtrahamus. Dudum ob hujus rei executionem, adhibitis nonnullis ex Fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, adjuncto etiam aliquorum doctrina & pietate insignium Virorum studio, Decretum Gratiani nuncupatum absque glossis, necnon idem Gratiani Decretum, cum Decretalibus Gregorii Papæ IX. Prædecessoris nostri, Sexto, Clementinis, & Extravagantibus, non modo cum veteribus glossarum Auctoribus, quibus cum viri pii & Catholici fuerint, ignoscendum videtur, si quid vel ob errorem in illis, vel quia nondum pleraque à sacris Conciliis diffinita fuerant, liberius locuti sunt: Verum etiam cum his, quæ ab impiis scriptoribus tam extra in marginibus, quam etiam intra aspersa fuerant Catholice veritati contraria, revidendi, corrigendi, & expurgandi curam demandavimus. Cum autem ipsum Decretum absque glossis, à præfatis à nobis deputatis jam totum emendatum, & correctum, ac nonnullis annotationibus illustratum existat, ipsiusque major pars à dilecto filio Paulo Constabili, tunc sacri nostri Palatii Apostolici Magistro, una cum dictis Decretalibus felicis recordationis Gregorii IX. Prædecessoris nostri jam impressis, recognita & approbata sit: reliquum vero ejusdem Decreti una cum annotationibus prædictis, tam absque Glossis, quam ipsum totum cum Glossis, Sextumque & Clementinas simul, & Extravagantes, à dilecto filio Sixto Fabri, ejusdem Palatii nostri Apostolici Magistro, recognoscenda omnia & approbanda in officina populi Romani, quæ ad hoc potissimum, ut libri sacri in ea fideliter, & incorrupte imprimantur, erecta fuit, imprimi, & impressa divulgari jusserimus, ac ut ad majorem Christi fidelium ubique tam intra quam extra Italiam, citra, & ultra Montes commorantium commoditatem, hoc Juris Canonici corpus fideliter & incorrupte, juxta exemplar Romæ impressum à Catholicis Typographis, à Romano populo, sive ab eo deputatis, vel pro tempore deputandis electis, imprimi possit. Nos opportune providere volentes, ut hoc Jus Canonicum sic expurgatum ad omnes ubique Christi fideles factum tectum perveniat, ac ne cuiquam liceat eidem operi quicquam addere, vel immutare, aut invertere, nullave interpretamenta adjungere: sed prout in hac nostra Urbe Roma nunc impressum fuit, semper & perpetuo integrum & incorruptum conservetur. Motu proprio & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnibus & singulis in nostro, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ dominio, nobis, & eidem Romanæ Ecclesiæ me-